



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

Cap. XXIV. S. Stephanvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

17. q. 4. qui rapit. & c. omnes raptores.

Rom. 1.

communibus eorum causis consonam sententiam proferant & determinent, quia aliter actæ nullas vires habebunt, nec Ecclesiasticæ reputabuntur. Item in eadem epistola de expoliatione dotis, & oblationum Ecclesiarum consultus, prius multis rationibus, & multorum auctoritate hoc genus inuasionis & rapinæ sacrilegium esse ostendit, postmodum & auctoritate & decreto Prophetarum, Apostolorum, eorumque successorum, & omnium Catholicorum Patrum exemplis tales præsumptores, & Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizat & damnat & sacrilegos esse iudicat, & nõ solum eos, sed omnes eis consentientes, quia non solum, qui faciunt, sed etiam, qui facientibus consentiunt, rei sunt, & iudicantur. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendet.

CAP. XXIV.

S. STEPHANVS.

A. cclvii.

2 epist. 1.

6. q. 1. c. infames.

STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Lobio, sedit annos 7. menses 5. dies 2. Fuit autem temporibus Valeriani, & Galliani & Maximi, vsq; ad Valerianum tertium, & Gallicanum secundum. Hic cum duobus Episcopis, & octo presbyteris, & tribus diaconis in carcerem missus, cum singulis tandem iussu Valeriani capitali sententia plectitur 4. nonas Aug. Hic ordinauit Episcopos 3. presbyteros 7. diaconos 5. Hic in epistola, a quam Episcopo Hilario misit, infames personas ad gradus sacros promovendas, & ad accusationem recipiendas esse prohibuit; Infames verò eas personas esse descripsit, quæ pro aliqua culpa qualibet notantur infamia, id est, omnes qui Christianæ legis normam abiiciunt & statuta Ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulchrorum quoq; violatores & Apostolorum eorumque successorum, & cæterorum sanctorum Patrum religiosa statuta libenter violantes, & omnes, qui aduersus Patres armantur, similiter incæstuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, & qui indigna petunt sibi loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt iniuste, & qui fratres calumniantur, aut accusant, & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam prouocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia expulsos, & omnes quos Ecclesiasticæ, vel seculi leges infames esse pronunciant, hos omnes infames esse descripsit, hos ad sacros gradus prouehi, & ad accusationem recipi interdixit. Item seruos

seruos ante legitimam libertatem pœnitentes, digamos eos qui curiæ deseruiunt, vel qui non sunt corpore integri, vel qui sanam mentem non habent, aut intellectum, aut inobedientes Sanctorum decretis existunt ad sacros gradus prouehendos esse prohibuit. Nec istos, videlicet, supradictos, item nec liberos, neque suspectos, nec rectam fidem, nec dignam conuersationem habentes summos sacerdotes accusare posse asseruit. Prædictus Papa in eadem epistola constituit, ne sacerdotes & Leuitæ vestimentis Ecclesiasticis in aliis vsibus vterentur, quàm Ecclesiasticis officiis.

*De cons. dist.  
1. c. vestimen-  
ta.*

Hic idem Pontifex in alia epistola<sup>b</sup>, quam destinauit omnibus Episcopis per diuersas prouincias, & cæteros, quos supra enumerauimus, à sacerdotum accusatione remouit, ad hoc proculdubio affirmauit pro sacrilego reputandum, quicquid iniuste agitur in rebus Deo sacratis, & Episcopis, \* qui sacri sunt, & violari à quocumque non debent. Item decreto suo asseruit, vt nullus Episcopus, dum suis fuerit rebus exspoliatus, aut à sede propria occasione qualibet pulsus, debeat accusari, nec ab aliquo prius crimen ei possit obiici, quàm integerrimè restauretur. & omnia ei quocumque ingenio ablata absq; dolo & fraude funditus legibus restituantur, quia non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam seculi leges hoc fieri prohibent. Item constituit, ne ille, qui se ab Episcopo, aut ab eius ministris, læsum se esse existimat, vel pro aliquibus erratis eos corripere cupit, prius eos accusare præsumat, quàm eos caritatiuè bis aut ter conueniat, vt ab eis percipiat, aut familiarem emendationem, aut iustam excusationem. Quod si præsumserit, à liminibus Ecclesiæ vsque ad dignam satisfactionem iussit eliminandum.

*b 2. epist.*

*2. q. c. 2. nullus*

*\* quia sacra.*

*3. q. 5. c. accusatores.*

ITEM constituit, vt nullius per scripta anathematizatio suscipiatur, sed propria voce, si legitima & condigna accusatoris persona fuerit, præsentem videlicet eo, quem accusare desiderant, quia nullus absens accusari potest, aut accusare. Item constituit, vt nullus Episcopus prius accusetur, aut suis respondeat accusatoribus, quàm regulariter à suo Primato sit vocatus, & locum defendendi ad abluenda crimina accipiat. Item, ne aliquis Episcopus accusetur, aut audiatur, nisi in præsentia omnium Prouincialium, & ab omnibus comprouincialibus Episcopis, quia ipsis absentibus, nec debet, nec potest audiri, aut iudicari. Item statuit, ne licentia accusandi progrediatur vltra terminos prouinciæ. Item constituit, ne accusatori prius detur licentia quemlibet criminandi, quàm se crimine, quo premitur, purgando exuerit: quia non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus impliciti

*3. q. 6. c. vltra.*

*3. q. 11. c. negã-  
da.*

D

sunt

2. q. 7. c. gra-  
rendum.  
2. q. 3. c. accu-  
satorum.

funt, nisi se prius probauerint innocentes. Dixit etiam, nusquam legi facultatem disponendi de Ecclesiasticis rebus attributam esse laicis etiam religiosis. Præcepit etiam de personis accusatorum, vt earum fides, vita & conuersatio primò diligenter inquiratur, & postea ea, quæ obiciuntur fideliter pertractentur, quia nihil prius fieri debet, quam prædictorum fides, vita & conuersatio diligenter discutiatur, ne alicuius inuidia, aut inimicitis, aut intentione mala quisquam vexetur.

XXV.

S. SIXTVS. II.

SIXTVS, natione Græcus, ex philosopho, sedit annum vnū, menses 10. dies 23. Fuit autem Valeriani & Decii tempore. et fuit tunc maxima persecutio. Eodem tempore hic comprehensus est à Valeriano, & ductus, vt dæmonibus sacrificaret. Qui, quia præcepta eius contempsit, capite truncatus est, & cum eo sex diaconi sub die 8. Idus Augusti. Tertia autem die post eius passionem passus est & beatissimus Laurentius eius archidiaconus 4. Idus Augusti. Hic ordinauit Episcopos 2. presbyteros 4. diaconos 7.

<sup>a</sup> epist. 1.

Hic in epistola, <sup>a</sup> quam Grato Episcopo consulenti eum misit, rationibus & auctoritate plurimorum irrefragabili asseruit & probauit, filium DEI non ex tempore, neque post tempora natum, sed ante omnia tempora de paterno vtero inenarrabiliter generatum. Hic in eadem epistola hoc, quod à multis suis antecessoribus constitutum erat ad omnium Episcoporum auxilium se roborasse ostendit. videlicet, vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, aut erimantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam sedem appellent, atque ad eam, quasi ad matrem, confugiant. & si quis Episcopus etiam iudicatus à comprouincialibus Episcopis venerit ad Romanæ sedis antistitem, in eius potestate sit, per se, aut per vicarios suos retractare negotium: & dum hoc actum & peractum apud ipsum Romanum Pontificem fuerit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus, quoniam perserutari quidem accusati Episcopi causam comprouincialibus Episcopis licet, diffiniri autem inconsulto Romano Pontifice non est permissum.

3. q. 6. c. omnes  
satus.

<sup>b</sup> epist. 2.

Item in alia epistola <sup>b</sup>, quam misit Episcopis per Hispania pro-